

# SANGUIS

RESPECTU

PHYSIOLOGICO.



AUCTORE

LUDOV. MANDL,

Med. Dr.

---

PESTANA,

Typis Ludovici Landerer de Flóskyt.

1836.

**ILLUSTRISSIMO AC MAGNIFICO**

**DOMINO DOMINO**

**J. J. Nob. a Littrow,**


PROFESS. P. O. ASTRONOMIAE SUBLIM. ET OBSERVATORII DIRECTORI IN  
C. R. UNIV. VINDOBONENSI, EQUITI INSIONIS ORDINIS RUSSICI ST. ANNAE.  
CLASS. SEC., SOCIETATUM ERUDITARUM KASAN. PETROPOL. PALERM.  
LONDIN. ET PLURIUM MEMBRO

etc. etc.

VIRO  
SCIENTIA, INGENIO AC HUMANITATE  
AEQUE INSIGNI,  
MODERATORI AESTIMATISSIMO,  
IN  
VENERATIONIS PERPETUAE TESSERAM

D. D. D.

GRATISSIMUS DISCIPULUS  
AUCTOR.



**Quae hodierno statu Physiologiae circa sanguinis naturam vera habentur hacce dissertatione conjunxi, observationes imprimis viri celeberr. Prof. J. Müller sequens; exclusis tamen omnibus citationibus scriptorum de hac re, quos invenire licet in: Pierer Medicinisch-sches Realwörterbuch, Bd. I. Leipzig, 1816;**



**Encyclopaedisches Wörterbuch etc. Bd. V.  
Berlin, 1830; Burdach Physiologie, Bd. IV.  
Leipzig, 1832; Müller Physiologie, Bd. I.  
Coblenz, 1834. etc. Primitias laborum meo-  
rum, lector! accipe benevole, et bonis fors  
inventis utere mecum.**

---

# **CONSPECTUS.**

---

## **DE SANGUINE.**

**Sectio I. *De sanguine perfecto.***

**Caput 1. Analysis microscopico-mechanica.**

**A. Sanguis e vase missus.**

**A. Liquor sanguinis.**

**1. Fibrina.**

**2. Serum sanguinis.**

**B. Globuli sanguinis.**

**B. Sanguis in vase.**

**Caput II. Analysis chemica.**

**A. Sanguis e vase missus.**

**A. Liquor sanguinis.**

**1. Fibrina.**

**2. Serum sanguinis.**

**B. Globuli sanguinis.**

**1. Nuclei.**

**2. Cruor.**

**B. Sanguis in vase.**

## **Caput III. Analysis organica.**

**A. Genesis sanguinis.**

**B. Vita sanguinis.**

*A. Motus proprius.*

*B. Vitalitas.*

**C. Relatio organica.**

## **Sectio II. De sanguine imperfecto.**

**A. Chylus.**

**B. Lympha.**



# DE SANGUINE.

Liquor vasis corporis animalis contentus vel versatur in circulatione, vel in via ad circulationem. Prior, contentum vasorum sanguiferorum, sanguis perfectus vel simpliciter sanguis appellatur. Alter, sanguis imperfectus, iam susceptus e tractu intestinali, albicans, vasa lactea, chylifera replens chylus audit; iam pellucida, originem ducens e cavis apertis, aut occlusis, in vasis lymphaticis degens, lympha vocatur.

## Sectio I.

### *De Sanguine perfecto.*

Sanguis est humor materias nutritionis, et formationis partium corporis animalis largiens, materias decompositas secretioni inservientes undequaque suscipiens, regeneratus per sanguinem imperfectum; in corde, arteriis et venis contentus, et vita durante iugiter per corpus circulans.

Est gravitatis specificae: 1,0527 — 1,057, saporis salsi, alcaline reagens, spargens odorem specificum sic dictum halitum sanguinis, attactu laevis, saponis adinstrar, temperaturae 31° — 32° R. Quantitas eius diverse a libris 8 — ad 30 aestimatur, neque ullus adhuc modus reperiri potuit, quo eum certo metiamur. Minus adhuc definiti potest copia sanguinis ad vitam simpliciter necessaria: funestissimae sunt eius iacturae repentinae; interposita mora ingentes profusiones perferuntur.

Sanguis e pulmonibus per venas pulmonales ventriculo cordis sinistro advectus, et hinc in aortam, eiusque ramos per totum corpus distributus, arteriosus, est laete ruber; atro ruber autem venosus per venas corporeas, et opere ventriculi cordis dextri in arterias pulmonales rediens.

**A n a l y s i s m i c r o s c o p i c o — m e c h a n i c a** (Cap. I.) docet sanguinem constare e liquido puro limpido, liquore sanguinis, et corporibus parvis rubris, globulis sanguinis. Nonnisi sub influxu vasorum liquidus servatur, nam sanguis e vase missus, aut intra corpus extravasatus coagulatur spatio 2 — 10 minutorum primorum. Formatu nempe massa solida, gelatinosa, se se contrahens et ab initio guttatum, dein vero citius liquidum limpidum flavum, serum sanguinis, exprimens, cui innatet coagulum rubrum: crassamentum, placentia, coagulum sanguinis. Fit vero sanguinis coagulatio sive hic virgulis agitetur, sive aër (qualiscunque) adsit, sive non, imo in temperatura animali. Serius sub inflammatione, in graviditate, additis alcalibus, salibus mitioribus, venenoque viperino et Tikunas; plane abest in animalibus electricitate, fulgere, acido hydrocyanico et ictu fortiore in ventriculum necatis. Citius post violentam destructionem cerebri, et medullae spinalis, nec nou vi vitali decrescente. Antequam et sub ipsa coagulatione vapor eructatur, gas seu spiritus rector, halitum edens mihiorem ante pubertatem, nullum in senibus, eunuchis, et tabe dorsali adfectis, acriorem in zoophagis; campana vitrea frigidore in guttis seligendus, copia minore in infantum, maiore in sanguine virorum; aëri atmosphaericо admixtus flammam non extingueens, aquam calcis non turbans, calore putrescens.

**A n a l y s i s c h e m i c a** (Cap. II.) edocet serum esse liquorem sanguinis fibrina privatum, crassamentum vero globulos sanguinis fibrinae inhaerentes.

**A n a l y s i s o r g a n i c a** (Cap. III.) demonstratur sanguinem verum esse totius organismi penum.

**E l e c t r i c i t a s** sanguinis hucusque ignota. Nam motus, in pede ranae observati, post contactum metalli et sanguinis cum nervo et musculo, aequo observantur; aqua posita loco sanguinis; nullius ergo sunt momenti.



# Caput I.

## Analysis microscopico — mechanica.

### A. Sanguis e vase missus.

#### A. Liquor sanguinis. (Blutflüssigkeit.)

**S**anguis, lympha carens, ex arteria ischiadica, aut corde ranae missus, vitro parum concavo susceptus, antequam placenta formaretur, superficie sua ostendit coagulum limpidissimum, quod secundum analysis chemicam fibrina est; fibrina vero simul cum globulis, id est placenta, seposita liquidum remanens serum sanguinis appellatur. Utriusque naturam nunc exactius investigemus.

#### 1. Fibrina. (Faserstoff.)

Hanc e sanguine puro, lympha carente, obtinendi triplex existit methodus. a) Sanguis ranae supra indicata via obtentus misceatur cum aqua, cuius 200 partes unam sacchari solutam contineant, et filtretur per chartam albam emporietiam. Globuli sanguinis ranae humanis maiores per filtrum retinentur, siveque liquor filtratus microscopio intuitus nec vestigium globulorum ostendit; post minuta nonnulla exoritur coagulum limpidum transparens, mox fit densius, albescens, filiforme. b) Virgula agitatus sanguis fibrinam reddit qua coagulum vix vel plane non coloratum, globulis sanguinis remanentibus integerrimis, in sanguine suspensis, lente fundum petentibus. c) Demonstratur tandem omniibus mediis, quae coagulationem retardant; via artificiali optime respondent guttae nounullae solutionis concentratae subcarbonatis lixivae sanguini sive hominis, sive animalis additae. Globuli sanguinis specifice graviores cito fundum petunt; post dimidiam aut integrum horam formatur coagulum limpidum, mox albescens innatans. Via naturali huicce methodo proxime accedit sanguis sub statu inflammatorio aut graviditate xiissus. Prius quam hic massa gelatinosa formatur, globuli fundum petunt, sero supra remanente decolore, transparente, mox albescente, superficie diversos colores ludente. Nunc

massa tota consolidans inferius rubra, superius alba serum exprimit. Pars albo-flavicaus superior mox multo firmius se se contrahit inferiore, et diameter minor fit ac ille partis inferioris, quamquam placenta prius ubique diametrum vasis tenuisset. Causa in eo latet, quod fibrina iu tota massa coagulans inferius obvolveret globulos sanguineos, et hinc certo retinetur expansionis gradu. Pars superior fibrina constans, griseo vel albo-flavicans, virescens, opalisans, globulis sanguinis destituta crusta inflammatoria, phlogistica, lardacea, corium pleuriticum (Entzündungshaut, Speckhaut) appellatur. Coagulum simile albendum post mortem in corde inventum, sic dicti polypi, fibrina maxima ex parte constat.

Quantitas fibrinae liquore sanguinis solutae optimo methodo secunda determinatur: sic sanguis bovis fere 0,5 fibriuae, in 100 partibus contuet. Sanguis arteriosus uti et inflammatorius plus fibrinae continet, venosus minorem quantitatem: causa latente iu iactura per nutritionem. (cf. p. 19) Sic sanguini caprae e carotide misso 0,483, e vena jugulari vero 0,395 partes fibrinae in 100 partibus insunt.

Fibrina hucusque repetita lotione e coagulo rubro sanguinis obtenta, simul nucleos globulorum sanguinis tenebat.

## 2. Serum sanguinis. (Blutwasser.)

Placenta e globulis et fibrina constante remota remanet liquor viridiflavus, saporis salsi, gravitatis specificae 1,027-1,029, alcaliu reageus in animalibus classium superiorum, in temperatura 70° — 75° C. gelatinosam efformans massam ob coagulationem albuminis, qui serum sanguinis audit. Pars praevalens est aqua, maxime essentialis vero albumen, praeterea adsunt alcali liberum, et sales harum basium. Sanguini humano  $\frac{1}{6}$  pars albuminis in sero inest: relatio fere eadem remanet in mammalibus, iu reliquis vero animalibus immunita; rana  $\frac{1}{6}$  partem continet. Plus aquae inesse experimentis probatum est sanguini seminae, infantis, senum, et phlegmaticorum, minus sanguinicis; albumiuis ad aetatem, genus et temperamentum nulla certa ratio.

### B. Globuli sanguinis. (Blutfügelchen.)

Seu vesiculae, folliculi, moleculae, granula, particulae sanguinis innuatantes guttae seri sanguinis, aut solutionis sacchari, vel salis communis, sub microscopio intuiti, sequentes proprietates praeseferunt.

Forma eorum rotunda in homine et mammalibus, ellyptica in avibus, piscibus et reptilibus; semper vero sunt complanati, utraque facie plani, exceptis unice globulis ranarum in medio utrinque prominentiam ostendentibus; vel maxime complanati in piscibus et reptilibus. Globuli piscium, et reptilium longitudine sua fere duplo latitudinem superant. Crassities in homine  $\frac{1}{2}$  —  $\frac{1}{3}$  partem latitudinis assequitur. In medio globulorum rotundorum rotunda, ellypticorum ellyptica observatur macula, lucida in plano illustrato, obscura in plano umbrae, nucleo interno uti mox videbimus adscribenda, nullamque, exceptis ranis, gignens prominentiam, quae observari posset in globulis margini insistentibus; quod eo verosimilius est, cum nucleus eiusdem sit cum globulo crassitici. Eadem forma globulorum in sanguine arterioso, et venoso.

Magnitudo globulorum fere omnium in homine aqualis, nonnullis tamen minoribus intercurrentibus, qui maiori numero adsunt in ranis. Globuli embrionis maiores. Maximi reptilium nudorum; minores avium, piscium, et reliquorum reptilium, minimi hominis et mammalium, et in his caprae. Diameter plani longitudinalis, idem in sanguine arterioso et venoso, in homine aequat 0,00023 — 0,00035 poll. paris. Globuli ranae illos hominis fere quater magnitudine superant.

Gravitas specifica est maior ea aquae, hinc fortuito mechanice adhaerentibus globulis aëris liberati fundum petunt.

Solubilitus eorum nulla in liquore sanguinis, fere nulla in sero, fibrina per agitationem separata, et globulis forma nequaquam mutatis, in sanguine humano post nonnullas horas 4 — 6 lineas, in bovino vero 1 $\frac{1}{2}$  lin. post horas 12 24, infra superficiem natantibus. Insolubilitas haecce adscribenda esse videtur praesentiae salium in sero, nequaquam vero albuminis: nam addita solutione aquosa vitelli ovi illico soluti, intacti vero remanent in solutione sacchari, aut subcarbonatis kali, muriatis natri etc. Oxygenium, gas acidum

carbonicum, strychnina et morphina formam nequaquam mutant. Addita vero aqua mutatio memorabilis formae accidit, minus distincte observanda iu minutis globulis humauis, melius in maioribus ranae. Subitanee ellyptici fiunt rotundi, nec non forma complanata perditur, margine nullo determinato nunc visibili. Macula versus marginem appareat, in aliis plane abest; adparent corpuscula multo minora globulis, ellyptica, albicantia. Aqua adhuc adsusa imminuuntur, disfluunt et post minus temporis intervallum uonnisi corpuscula albicantia, quorum nonnulla mox adsusa aqua iam vidimus, supersunt. Diameter eorum unam quartam partem longitudinalis globulorum adaequat. Similem effectum citissime exserit acidum aceticum, involucro solummodo tenuissimo remanente insoluto, quod ex pulvere dilute fuscescente concludimus, si corpuscula fundum petunt; acidum muriaticum parum solvit, oxymuriaticum involucrum colore privat. Globuli parum immnuuntur alcoholi, penitus vero solvuntur, absque ullo residuo corpusculorum, iu liquore kali caustici, et liquore ammonii caustici. Fiunt haec experimenta globulis in sero sanguinis fibrina separata natantibus, cuius gutta una sub microscopio reagente addito contemplatur.

Constant ergo globuli ex corpusculis minoribus decoloribus, seu nucleis, et involucro rubro tingente seu crurore, haematina. Nuclei optime obtinentur, si sanguini ranae fibrinae experti aqua adsunditur, crurore soluto nuclei decolores fundum petunt. Formam globuli semper simulant. In rana minus complanati longitudo latitudinem duplo superat; acido acetico et humani minutissimi obtinentur.

Quantitas globulorum hucusque non determinata. Quae habebatur, fibrinam simul liquore solutam comprehendit. Methodus illam determinandi esset sequens. A placenta 100 partium sanguinis subtrahatur fibrina correspondens; residuum continet quidem quantitatem globulorum in 100 partibus sanguinis, ast immixtam albumine et salibus seri, placentae inclusi, sub evaporatione remanentibus. Suppositio hypothetica esset, aquam globulis penetrantem evaporatam eandem quantitatem albuminis continere ac serum; tum vero quantitas determinanda albuminis subtrahenda foret, remanente quantitate globulorum. Nucleorum vero quantitas minima esse videtur, cum placenta repetitis lotionibus omni crurore privata fere

eandem fibrinae, nucleis remanentibus inclusis, quantitatem largitur ac sanguis simpliciter agitatus. Possibile tamen esset lotione nucleos simul cum crvore avelli, visumque dein au-fugere iu solutione materiae tingentis.

**Varietas globorum** adhuc occurrit in sanguine ranae e corde missa. Adsunt enim corpuscula rotunda, albicantia crvore destituta, quartam globuli sanguinis ellyptici partem adaequantes. Sunt hi globuli lymphae seu chyli (vid. Sect. II.), magnamque sovent similitudinem cum globorum nucleis, nisi essent rotunda. Ceterum globuli chyli mammalium nucleis maiores sunt; verosimiliter visum effugiunt in sanguine humano globulis sanguinis intermixti.

In homine in 100 partibus sanguinis 12,9 sunt placenta: haec relatio manet fere eadem usque ad pisces; in his vero et reptilibus nudis quantitas relativa placentae imminuitur. Sanguis animalium zoophagorum, virorum sanguinorum ditior est placenta; coagulum imminuitur sub menstruatione, scorbuto, typho etc. et in animalibus somnum hyemalem degentibus

### B. Sanguis in vase.

Partes nonnullae pellucidae animalium microscopio subiectae, uti membrana natatoria ranarum, cauda pisciculorum et branchiae larvarum ranac, salamandrac, mesenterium omnium animalium vertebratorum, alae vespertilionum etc. in vasis minimis, capillaribus, globulos sanguinicos ostendunt solitarios, absque interruptione fluentes in animali vegeto; viribus vero deficientibus motus interruptus eorum observatur, quamquam semper decurrunt, sub maiore debilitate nonnisi momento pulsus cordis propelluntur, ast nunquam penitus remanent, aut fors parieti se coniungunt, nisi sanguis in vasis coagularetur, quod sub functione normali circulationis nunquam obtinet. Arteria compressa globuli immobiles loco suo inhaerent. Vasa ipsa capillaria 0,0002 — 0,0005 poll. paris. diametro suo adaequantia diametro globorum sanguinorum adaptata sunt.

Duplicem ergo et hic materiam: solidam — globulos — et fluidam — liquorem — observamus; colorem, ubi globuli

solitarie apparent fere nullum, plures flavum, maiore quantitate purpureum exhibeunt, universi sanguinis rubor procul dubio ab iis derivandus est. Color sanguinis omnium vertebratorum ruber, non vertebratorum versus verosimiliter ob diverse coloratum serum, nutrimentis et materiae extractivae plantarum adscribendus. Annulata et nonnulla mollusca rubro, bombyx vinula viridi, helix pomatia caerulescente, ascidia mammata flavo etc. pleraque insecta albo, chylo perfectiorum animalium simili sanguine gaudent.

Sanguis cordis sinistri, venarum pulmonalium, et aortae arteriosus, in vasis capillaribus corporis totius profunde ruber tinctus, in corde dextro, arteriis pulmonalibus, et venis quae venosus versatur. Prior colore laetiore, odore acriore, temperatura maiore ( $32^{\circ}$  R.), coagulo firmiore, fibrina copiosiore, gravitatis specificae 105,03, a venoso differt qualitate coloris atri, odoris mitioris, temperaturae minoris ( $31^{\circ}$  R.), fibrina pauciore, gravitatis specificae 105,7. Sanguis foetalis arteriosus et venosus, arteriarum et venarum umbilicalium vix differt a sauguine venoso adulorum.

## Caput II.

### Analysis chemica.

#### A. Sanguis e vase missus.

**P**riusquam sanguinis partes singulas investigemus, generales eiusdem relationes chemicae determinandae suut. Commemorato iam prius effectu nonnullorum salium in coagulabilitatem sanguinis sequentia experimentis comprobata sunt:

Liquor kali caustici, gas nitrosum, acidum carbonicum, sulfurosum, et generaliter omnia acida sanguinem colore nigrofusco tingunt. Laetiore vero saccharum, et salia nonnulla, uti murias ammoniae, nitras kali, murias et sulfas natri etc. Scintilla electrica maculas laete rubras efformat in superficie sanguinis venosi. Sanguis arteriosus nullum tenet oxygenium liberum, calore dispellendum, quamquam sub inspiracione eodem iungi videtur, ast verosimiliter intime. Sub

**antlia pneumatica** colorem non adquirit profundiorem, nec sanguis venosus laetiorum. **E sanguine venoso** neque calore, nec antlia pneumatica gas acidum carbonicum evolvitur. **Sanguis aere atmosphaericо** quassatus partem oxygenii eiusdem in acidum carbonicum immutat. **Sanguis conquassatus** cum acido carbonico et sic eodem artificialiter impregnatus eundem retinet colorem sub antlia pneumatica obscuro rubrum, nec ibidem gas acidum carbonicum evolvitur; mox laetum recuperat in contactu cum aere atmosphaericо, laetissimum cum oxygenio quassatus, acidum carbonicum simul evolvens. Nullum acidum carbonicum evolvitur e sanguine profunde rubro, sin salibus laete tingitur. Color ruber coaguli sanguinis sub aqua destillata in atrum vertitur. — Sub omnibus hisce mutationibus forma globulorum immutata manet.

In superficie sanguinis nonnunquam materia pinguis innatans observatur; maxima pro parte tamen fibrinæ, crux et albumini iuncta occurrit.

#### A. Liquor sanguinis.

##### 1. Fibrina.

Duplici occurrit statu, recens scilicet, soluta in liquore sanguinis, et coagulata. Prior obtinetur filtrando sanguinem, addita simul minori quantitate solutionis sacchari. Liquidum filtratum non coloratum, fibrina soluta tardius coagulante praeditum est. Susceptum in vase vitro acido acetico repleto fibrina eiusdem non coagulatur; pro parte etiam solutio murriatis natri id efficit. Haec eadem solutio, uti et subcarbonatis kali, sanguini recenti ranarum addita coagulationem impedit. Similem effectum in sanguinem hominis habent salia nonnulla, uti sulfas natri, nitras kali. Unde ad applicationem salium refrigerantium in methodo antiphlogistica intelligimus; coagulationem scilicet fibrinæ impedientes nisum eiusdem praemagnum transsudationis per vasa organi inflammati pro maxima parte sufferunt. Liquor kali caustici aut aether sulfuricus liquidum filtratum suscipiens in superficie sua mox ostendit floccos minimos. Fibrinam recenter coagulata tam obtainemus aut lotione placentæ sanguinis, aut melius agitatione sanguinis, et lotione fibrinæ in virgula haerentis. Est specificè gravior aqua, sero sanguinis seu puro seu

globulos sanguinis continent; coloris albi, siccata,  $\frac{3}{4}$  partes sui ponderis perdens, flavi; est dura, rigida, non pellucida, nec odore nec sapore peculiari praedita; aether aut alcohol tractata materiam pingue largitur, quae aequem memorabilis est ac illa cerebri phosphori quantitate; materia haec 4 — 5 partes centesimas fibrinae efformans duas praebet modificationes similes stearinae, et oleinae pinguedinis liberæ; nullo azoto, paucō oxygenio, multo carbonio constat, est materia mollis, decolor, nitens, alcohol calido solubilis, ex refrigerato in forma lamellarum crystallisans, cum aqua emulsionem praebens. Fibrina aqua non solubilis emollitur eadem, sub continua coctione corrugatur, rigescit, et dilabitur tandem sub pressione minima, nullum evolvitur gas, ast aqua nunc turbida continet novam enatam materiam, nullam cum glutinis solutione referens similitudinem. Sicca sub maiori calore funditur, intumescit, inflammatur reicto carbone uitente. Comburitur in cineres semifusas griseas, neutrales, pondere  $\frac{2}{3}$  partes centesimas fibrinæ siccae aequantes, constantes c phosphate calcariae, phosphate magnesiae, et vestigio minimo ferri; solutis acido muriatico silice remanet. Ante incinerationem partes consistentes cinerum acidis non possunt exhiberi. Fibrina, albumen coagulatum, materia caseosa, et crux communem habent proprietatem: ex illis coctione gluten non posse sisti. Mox naturam baseos, mox acidi adipiscitur in connubio cum acidis et alcalibus; acidis concentratis intumescit, fit gelatinosa, pellucida et naturae acidæ; cum acidis dilutis corrugatur et est naturae neutralis. Aqua solubilis est coniunctio cum acido acetico, et neutralis cum acidis mineralibus; acida vero est insolubilis. In liquore kali caustici solvitur in massam gelatinosam non saponaceam; in acido muriatico soluta post 24 horas sub calore + 18° — 20° coerulescit, admixto crux vero rubescit. Partes elementares fere eadem, ac crux.

## 2. Serum sanguinis.

Si, sero sub calore 76° coagulato et cum aqua ebulliente tractato, solutioni alcohol additur, hic solvit kali muriaticum, natrum galacticum et muriaticum, osmazomam, et remanens insolutum est albumen. Separatim nunc has partes investigemus.

a) Acidum galacticum (Milchsäure) est decolor, edoris expers, saporis acidi mordacis, aqua sufferendi, solvitur aqua omuibus proportionibus, aethere parca quantitate. Tinctura gallarum osmazomam alchohole simul extractam praecipitat. Differt ab acido acetico vel maxime simili.

b) Osmazoma. (Osmazom.) Solvitur aqua calida et frigida, alchohole calido et frigido, funditur iu calore, difflit aëre humido, praecipitatur tinctura gallarum.

c) Albumen (Eiweißstoff) duplii statu invenitur: soluto, et coagulato. Solutum in sero coniunctum esse videtur natro, quod albuminas natri appellatur, quin natrum causa solutionis esset: nam saturari potest natrum acido acetico, quin albumen praecipitetur; siccatur in calore infra  $60^{\circ}$  C. fit pellucidum, et aqua iterum solvitur: liquidum tunc sistit pellucidum, viscosum, calor, odoris et saporis expers. Coagulatur et fit insolubile in calore  $70^{\circ} - 75^{\circ}$  C, columna Voltaiana, alchoole, salibus metallorum, tinctura gallarum, et liquore kali caustici. Multa cum aqua coctum non solidescit, sed globulos efformat sub plena evaporatione albumen coagulatum repraesentantes. Coagulatur imprimis acetate plumbi, et perchlorido hydrargyri (Mercurio sublimato corrosivo), quod  $\frac{1}{2000}$  partem albuminis adhuc indicat. Parvis quantitatibus salium metallicorum sero mixtis, addita maiori quantitate liquoris kali caustici, quam ad decompositionem salis sufficeret, oxydum non praecipitatur, sed iu connubio remanet cum albumine.

Fibrina soluta imprimis differt ab albumine soluto, quod per se et aethere coaguletur, albumen vero calore, reagentibus, non aethere. Albumen, uti fibrina, materia pingui simili modo sistenda praeditum est. Albumen acidis ant alkalibus iunctum eodem statu servatur, ac albumen coagulatum. Statu coagulationis e globulis aggregatis constans a fibrina nullatenus differt, nisi quod hyperoxydum hydrogenii non decomponat. Neque partes elementares multum differunt ab illis fibrinae.

*B. Globuli sanguinis.**1. Nuclei.*

Desideratur hucusque horum analysis perfecta. Aqua insolubiles, ibidem relictæ massam efformant mucosam e nucleis iisdem constantem; solubiles alcalibus, ab acido acetico per plures dies intacti remanent. Sic generales proprietates fibrinæ et albuminis coagulati praeseferunt, quæ tamen acido acetico solubilia esse videntur.

*2. Cruor sanguinis (Blutroth)*

*pigmentum sanguinis*, *pigmentum rubrum*, *haematina* (Färbestoff) triplici invenitur statu: in globulis sanguinis, soluta in aqua, vel insolubilis in aqua, coagulata.

Cruor globulorum in contactu cum aëre atmosphaericō vel oxygenio laetiorē adipiscitur colorem sub evolutione gas acidi carbonici. Serum sanguinis globulī permixtū oxygenio transeunte totum fit laete rubrum. Contactus protractus cum oxygenio, cum gase quocunque, aut acidis sere nigrum reddunt eius colorem. (cf pag. 9.)

Lotione coaguli sanguinis per aquam cruor omnibus solvitur proportionibus; in contactu cum aëre atmosphaericō minus rubescit ipso sanguine, condensatur in massam nigrescentem sub calore 50° C, constitutens pulverem profunde rubrum, friabilem, redissolubilem in aqua, præcipitata offerens partim nigra, partim fusca vel rubra per salia oxydorum, terrarum, aut metallorum; coagulantem, in calore 52° R. etiam si in 1000 aquae partibus solutus esset, dum e contra albumen sero solutum cum 10 aquae etiam ad 60° R. non coagulatur. Coagulatur porro alcohole aut acidis mineralibus, aut alcali addito acido, aut acido acetico addito alcali.

In statu hoece tertio qua coagulum cruor est ruber, granulosus, conianctiones sistens fuscas cum acidis, aqua solubiles; alcalibus solvitur; ex solutionibus suis tannino præcipitatur alcohole, quo simul materia pinguis cruori iuncta extrahitur, solutus separatur ab albumine alcohole insolibili. Partes eiusdem elementares, fere eaedem ac fibrinæ, sunt in sanguine

	venoso	arterioso
Azot.	17,392	17,253.
Carbon.	53,231	51,253.
Hydrog.	7,711	8,354.
Oxygen	21,666	23,011.

Calore siccata nigrescit; massa inde obtenta dura fracturae est conchaceae, aegre friabilis, aqua solubilis, combustionē  $\frac{1}{2}$  partem cinerum sistens alcalescentium, coloris flavo rufi, compositarum ex:

Calcaria pura . . . . .	20,0
Phosph. calc. cum pauco phosph. magn.	6,0
Phosph. ferriei basici . . . . .	7,5
Ferricum . . . . .	50,0
Acid. carbon. et partium perditarum . . .	16,5

De mangani et sulfuris praesentia dubia restant; sanguis arteriosus plus ferri continet ac venosus; ferrum vero non ingestum accidentale nutrimentorum sistit, cum et in caniculis neonatis adsit. Maxime probabilis est opinio ferrum in cruore regulinum adesse, et cum oxygenio, hydrogenio, azoto, carbonio et pauco phosphori, calcii et magnii organieum connubium inivisse, sub incineratione oxydari, et sic acidum phosphoricum, calcariam, magnesiam et oxydum ferri enatum esse. Pro organico connubio ferri regulini loquuntur experientia, quibus comprobatum est, per reagentia maxime sensibilia in oxydum ferri, uti lixivium sanguinis, tanninum, tineturam gallarum, et acida mineralia in cruore nec minimum vestigium ferri indicari. Solutio aquosa cruris aqua oxymurlatica penitus decoloratur, cum materia animalis sub forma floccorum alborum chloro iuncta fundum peteret, nullos cineres ulterius praebens; ferrum, magnium, calcium et phosphorus autem aut oxydata aut chlorio iuncta filtratione separari valent. Nulla affinitate vero praeditum est chlorum in oxyda, magna in metalla regulina, neque ferrum in sanguine per acidum muriaticum, aliave disiungitur, quae omnia affinitate magna erga oxyda gaudent. Reactio haec aquae oxymuriaticae in colorem, uti et acidi hydrothionici, sicuti in ferrum (colorem enim solutionis aquosae cruris reddit viridem) sanguinis colorem ferro adscribendum esse testantur. Hisce nonnulla argumenta opponuntur quidem, plenam explicationem a perfectione chemiae organicæ expectantia.

Abstrahendo igitur a materiis novis secretione formatis uti muco, picromele etc., elementa remota omnium partium solidarum observamus, nempe fibrinam albumen, osmazomam, acidum galacticum, materiam pinguem. Gluten solummodo excipitur, in ossibus, cartilaginibus etc. obveniens; maxima cum verosimilitudine tamen enatum est decompositione sub coctione.

### B. Sanguis in vase.

Sanguis venosus in vasis capillaribus pulmonum colorem atrorubrum in laete rubrum, vasa capillaria vero totius corporis reliqui permeans hunc iterum in atrorubrum convertit. Coloris haec mutatio chemicis mutationibus intime iunctam esse (pag. 8) vidimus; hasce igitur nunc proprius examinemus.

Causam proximam in respirationis opere agnoscamus: hocce enim silente sistunt mutationes coloris sanguinis, mox restituendae respiratione renovata. Pulmones superficie sua interna planum ingens praebent actioni reciprocae inter sanguinem, et aërem nunquam penitus absentem; influxum specificum vix exserunt, cum et similes mutationes sanguinis in cute piscium et ranarum, iu intestino (cobitis fossilis), imo nervis vagis transseisis obtineant. Aër exspiratus volumine deerescit, plus acidi carbonici et aquae, minus oxygenii continet ac inspiratus; simulque maior oxygenii pars deperditur ac acidi carbonici generati ratio exposceret \*). Exhalatio azoti in aëre atmosphaericо non percipitur, cum eadem quantitas ex aëre absorbeatur, qua sanguis orbatur; ast sat magna in aëre azoto carente. Processus chemicus in pulmonibus nunc obtinens diversas largitur explicaciones. Verosimiliter pars oxygenii aëris sub respiratione perditи cum carbonio sanguinis se iungit in acidum carbonicum; pars alia oxygenii autem globulis sanguinis, hos lacte tingens; vapores

\*) Oxygenii detrimentum maius est in zoophagis ( $\frac{1}{5} — \frac{1}{2}$  pars oxygenii aëris adhibiti), ac in phytopthagis ( $\frac{1}{10}$  oxyg.). 100 grana mammalium generant in 100 minutis 0,52 poll. cub. acidi carb. 100 gr. avium 0,97 poll. cub. acidi carb. et 100 gr. ranae 0,05 p. c. ac. carb. Granum unum igitur reptilium, animalium sanguine frigido praeditorum, decies minus acidi carbonici generat ac pars aequalis mammalium, et 19 minus ac granum unum avium, animalium calido sanguine gaudentium.

aquosi aërem exspiratum comitautes fontem suum agnoscunt in evaporatione, quae sub temperatura animalium calido sanguine praeditorum iu superficiebus organicis humidis sit. Sunt quidem alii, qui oxygenium aëris hydrogenio sanguinis iungi iubent in scopum productionis aquae; sed pulmones temperaturam aliarum partium organicarum non superant. Experimentis supra citatis etiam opinio eorum refutatnr, qui oxygenium sub respiratione sanguini arterioso laxe iunctum credunt, ut sub circulatione oxygenium carbonio sanguinis venosi unitum acidum carbonicum, in pulmonibus tandem liberum, generet; nam nec sanguis arteriosus oxygenium liberum, nec venosus acidum carbonicum liberum (cf. pag. 8 et 9) continet. Unicum, ast maximi momenti obstat observatio animalia sanguinis frigidi eandem sere quantitatem acidi carbonici exspirare, etiam in aëre oxygenio carente. Huiusce argumento innixi, nonnulli acidum carbonicum momento circulationis sanguinis per vasa capillaria pulmonum ex partibus elementaribus sanguinis generari credunt. Versatur ergo nunc theoria processus chemici respirationis difficultate non soluta. Causa, cur aér per vasa capillaria effectum suum in sanguinem exserat, in endosmosi (cf. cap. III. C.) latet.

Aér atmosphaericus vel minima quantitate sanguini admixtus sere subito necat, circulo in vasis minimis impedito; dum e contra quantitates minores gasis oxygenii, aëris atmosphaericci et gasium irrespirabilium uti hydrogenii, carbonici etc. perferuntur; absolute lactalia fuerant nonnulla, uti nitrosum, hydrothionicum etc.

Transscissis nervis vagis constanter in sanguine pulmonum et cordis coagulationes albidae observantur, arteriis et venis pulmonum, nec non in corde occurrentes, si mors non illico experimentum subsequitur. Sunt adhuc nigricantes, si vita mox cederet; morte post 48 horas insequente albaceo adparent, motus cordis ergo hic agitationum sanguinis operis virgularum vices gerit

---

## Caput III.

### Analysis organica.

#### A. Genesis sanguinis.

**M**ateriae sanguini generando inservientes sunt contenta vasorum lymphaticorum, scilicet lympha pura, et chylus albicans, quorum prior materias nutrientes ex interno partium organicarum, alter e tractu intestinali per vasa lymphatica in ductum thoracicum, et hinc in sanguinem dicit.

Lympha et chylus (conf. sect. II.) continent albumen solutum et fibrinam solutam, minori quantitate ac sanguis, et optime liquori sanguinis decolori, globulis sanguinis carrenti, comparari possunt. Continent simul globulos proprios decolores, plerumque minores globulis sanguinis, nucleum eorundem adaequantes (rana, salamandra), ast figura discrepantes, nam sunt rotundi. Nonnunquam magnitudine non cedunt globulis (felis), imo superant (lepus); nequaquam ergo statui potest illos repraesentare nucleos globulorum sanguinis. Chylus sanguini admixtus intra 12 horas iu sanguinem perfectum mutatus esse videtur, quia illucusque saepissime serum lacti simile observatur. Ubi crux aut involucrum globulorum sanguinis, horumque forma exoriatur hucusque ignotum.

Prima vestigia sanguinis in ovo iu area vasculosa adparent, et quidem in peripheria eiusdem; antequam vasa et cor, iu parenchymate granuloso insulae et interstitia lucida adparent flavum, mox rubrum, liquorem includentia. Globuli ipsi ab initio e globulis pluribus constare videuntur, mox confluentibus; in embryone avium primis diebus rotundi, nonnisi sexta ellyptici fieri incipiunt, nona die omnes ellyptici. Originem vero absque dubio ex ipso parenchymate, vitellum ovi absorbente, ducunt, cum particulae parietum solvuntur et in contactum ponuntur cum sanguine proximo; tandem perficiuntur sub influxu generali vitae, cum singularia adhuc non adsint organa. Similem processum et in homine adulto assumere licet, sin ex chylo sanguis sit; peculiarem influxum etiam respiratio habere videtur hucusque non determinatum. Deest enim occasio observandi, an sanguis absque respiratione colore rubro et mutationibus connexis careat, et an globulorum efformatio impedita sit.

## B. Vita sanguinis.

### A. Motus proprius.

Non datur vis propria propulsionis in sanguine; ad summum actio reciproca inter sanguinem et substantiam, quae affinitas fors exaltata sanguine retento phaenomena turgoris erectionis etc. producit; ast in generali circulatione globuli, uti iam diximus (cf. pag. 8.), semper sunt passivi, nunquam subsistunt. Vis propulsiva sanguinis, silentem cordis explens, confirmata esse videbatur circulatione in area vasculosa ante cordis motum, quod tamen hodierno tempore dubio subiicitur. Nec confirmatur motu sanguinis in vasis capillaribus partis abscissae, continuante fluxu e vase maiore transscisso, a vasis minoribus versus maiora, e. g. per 10 minuta in extremitate ranae abscissa, elasticitati vasorum nunc se se constraintum unice adscribendo. Luce solari intensiva cadente in partem abscissam humidam superficies cito siccessit et corrugatur, vasa capillaria citius deplentur, nitorque proprius micanus hinc producitur; superficie humefacta et corrugatio et nitor per nonnulla desinit momenta, restitutus mox incipiente evaporatione, imo  $1 \frac{1}{2}$  die elapso. Arteria compressa circulus in vasis minimis plerumque citissime desinit, globuli immobiles loco suo adhaerent. Sin ergo motus globulorum sanguinis proprius existeret, hacce occasione prodire deberet. Gutta sanguinis microscopio subiecta motum proprium globulorum ostendere fertur. Ast abstrahendo ab evaporatione hic obtinente, cuius momenti habeatur hocce argumentum, sin globuli sanguinis per 24 horas iam emissi, guttulae seri admixti, motus cosdem praestant.

## B. Vitalitas.

Quidquid in organismo effectum legibus anorganicis dissimilem exserit, vi praeditum est organica seu, quod idem est, vitali. Ineptum esset, hanc unice partibus solidis adscribere: continent enim  $\frac{4}{5}$  partes liquidi, nec datur hic limes determinatus. Denegari ergo nec potest sanguini, fonti omnis productionis organicae; attrahitur a partibus vivis et irritatis, et datur actio reciproca viva inter sanguinem et partes organicas. Adeoque sanguis ipse vitalitate gaudet. Influxus vitam

**sustinens, animans**, sanguini arterioso proprius est. **Sanguis** enim vasa capillaria minima permeant atro ruber, actione reciproca ignota inter materiam et sanguinem, quae organa reddit apta ad vitam, sanguinem vero ineptum stimulum vitae necessarium exserendi, recuperandum ope respirationis post minuta nonnulla. Neque scimus, an sanguis venosus ideo ineptus est, cum ipsi deest, quod arteriosus habet, seu an combinatio elementorum talis nociva adsit, quae sub respiratione, et acidi carbonici exhalatione restitui debet. Memorabilis haec distinctio inter sanguinem arteriosum et venosum non unice colori irradicari, sed in vitalitate ipsa hæretere, etiam sanguine foetali comprobatur; atro ruber venosus enim hic sanguis influxum non exserit nunc nocivum in vitam seu ob defectum respirationis et actionis reciprocae inter materiam et sanguinem arteriosum, seu ob nexus embryonis cum matre, qua respiratio suppletur. Respiratione artificiali obtinente in animali, medulla oblongata transscissa aut cerebro destructo color sanguinis quidem mutatur, ast nullus calor evolutus est. Vel maxime vires nervorum et vitae animalis sanguine arterioso determinantur, quo imperfecto, e. g. in cyanosi, motus muscularis, stimulus sexualis, calor deficit. Functiones vero vegetativae minori gradu sanguini arterioso debentur; multae enim secretiores, e. g. bilis, urinae in piscibus et amphibiis etc. e sanguine venoso sunt. Subligatio omnium truncorum arteriarum membra eiusdem motum penitus delet et mortem localem efficit.

Maximi momenti sunt experimenta **transfusionis**, quibus sanguis animalis alicuius sanguini alterius admiscetur. Comprobatum est: 1) Sanguis mammalium recens virgula non agitatus transfusus iu venam avis, post nonnulla min. sec. mortem inducit, symptomatibus similibus veneno inductis. 2) Agitatus vero salute intacta transfunditur. 3) Agitato fibrinae experite sauguine nonnisi animalia eiusdem classis, iactura sanguinis debilitata, animantur. Serum absque globulis hunc effectum non exserit; globulis sanguinis ergo proprio principium vitale inhaerere debet. 4) Mors sanguine mammalium in avibus inducta principio immateriali debetur, nam globuli mammalium minores sunt illis avium, et globuli meri (2) hunc effectum non producunt. 5) Hoc principium, a vitalitate diversum agitatione delendum, specificum

fibriam solutione tenet, et characterem specificum animalium cuiuscumque classis causat. 6) In venam hominis sub magna sanguinis iactura licet sanguinem non agitatum humanum aut mammatum proxime accendentium transfundere. Quem, ut eo tutius progrediamur prius agitatum, quo character verosimiliter et individualis deletur, mox caute calesactum transfundimus. Experimenta haec iu ranis repetita edocuerant, sanguinis, qui nisi agitatus mortem momentaneam inducit, transfusionem eo magis nocivam fuisse, quo remotior classis animalium stabat cuius sanguis agitatus admiscebat; qui tamen animalium e tribus classibus superioribus, serius cito mortem semper effecit; circulo sensim impedito. Semper exsudatio adfuit iu ventriculo ranae liquoris serosi et muci, globulos sanguinis transfusi et ranae continens. Relaxatio ergo similis, uti sub menstruatione, parietum vasorum capillarium (cf. p. 22.) adesse debet.

### C. Relatio organica.

Vasa corporis animalis permeans multis mutationibus subiectus, multorum simul phaenomenorum causa principalis sanguis exstat.

Aér atmosphaericus iu pulmonibus sanguini contiguus acido carbonico scatens exhalatur; quicunque fons acidi carbonici sit, supposito eodem producto calore sub metamorphosi oxygenii in acidum carbonicum durante respiratione, ac sub inflammatione carbonis in oxygenio, oxygenium connumbiū ineus cum sanguine thermopoeos proxima est causa; ex hoc unico fonte excitatur in animalibus phytophagis 0,7, in zoophagis 0,5 partes caloris ab animali eodem tempore perdit. Hinc explicatur, cur foetus calore proprio vix memorabili praeditus est, cur in cyanosi, metamorphosi sanguinis impedita, ex vitiis circulationis, calor animalis nonnullis gradibus deprimitur, cur amphibia etc. minorem acidi carbonici quantitatem generantia (cf. pag. 14 not.) temperatura propria exigua gandeant.

Sanguis e pulmonibus ope circulationis per reliquum corpus circumlatus fontem nutritionis ubique praebet; Globulos ipsos substantiae non uniri iam prius demonstravimus, quod et exinde patet, cum fibrae primitiae nervorum et muscularum nucleis globulorum tenuiores existunt. Vasa capillaria tenuissima in fibris primitivis muscularum, et ner-

vorum iam non decurrunt; crassiores cuim illis existunt. Mutatio ergo materiae necessario per parietes fit e partibus sanguine solutis, globulis non solutis ex arteriis veuas petentibus. Materiae ergo principales nutritionis albumen et fibrina existunt; quarum pars soluta parietes vasorum capillarium permeat, particulas texturae organicae irrigat, unde superflua ope vasorum lymphaticorum sanguini reducitur. Particulae organicae adeoque attrahunt partes sanguine solutas, quae iunctae parietes transgredi debent. Incertum, an crux globularum, partibus similiter coloratis colorem communicet, auhae ipsae hunc generent. Quamquam globuli integerrimi semper vasa permeant, actio tamen reciproca locum habet inter illos et particulas organorum maximi momenti, cum in vasis capillaribus colorem atro rubrum induant. Particula quaecunque organica partem attractam ita permuat; ut pars similis inde exoriatur, e. g. nervus substantiam nervinam, musculus musculararem etc., imo producta pathologica assimilant. Ast (pag. 14) iam vidimus partes proprieles organorum sanguini iam inesse; sic albumen cerebri, glandularum etc., fibrina muscularum, materia pinguis cerebri, nervorum etc., ferrum capillorum, pigmenti nigri, et lenti crystallinae: calcaria fluorica dentium et ossium, minori quantitate fors praesens observatores effugit; quae tamen omnia in ipsis particulis diversissimas ineunt metamorphoses. Fibrina vero et albumine non assimilatis cruda interstitia particularum exceptant, uti iu inflammatione. Si vero haec exsudatio liquoris sanguinis non interno organi inflammati, ast in superficie locum habet, materia guttatum adparens, transsudata pellucid; et liquida, mox albescit et solidescit. Fibrina vero exsudata, cum partibus organicis iu contactu, magno nisu formationis praedita, occasionem genesi vasorum novorum praebet, modo alio loco describendo. Materia transsudata metamorphosim triplicem subit: 1) mutatur iu substantiam organorum, — intussusceptio, nutritio; 2) mutatur in limite superficiali organi in substantiam solidam, non organisatam, unde partes non organisatae e. g. dentes crescent, — appositio; 3) mutatur in limite superficiali organi in materiam liquidam secerendam, — secrecio, quae plurimum confert ad servandam iustum sanguinis mixtionem. Materiae secretae vel a) nondum sanguini insunt, sed per processum

peculiarem hucusque non explicatum, e liquore sanguini-  
in apparatu secretionis formantur; e. g. lac, bilis, sperma  
mucus. Tales apparatus sunt cellulae secerentes, membra-  
nae serosae et sinoviales, et glandulae. Harum tubuli, cana-  
liculi, vesiculae etc., minimae ubique coece finiuntur, circum-  
dantur a reti vasorum capillarium tenuissimo, irrigantur li-  
quore sanguinis transsudante, hunc in secretum peculiare  
mutantes, in superficie interna defluens. Apparatu secretionis  
deleto, haec ipsa suffertur, nec vicaria existit, nisi apparatu  
praesente, effluvio solummodo impedito, resorptionis ope in  
sanguine susceptum liquidum in alio loco exsudatur. Vel  
b) tales sanguini iam insunt, et nonnisi nunc separantur.  
Carbonio enim ope respirationis semper imminuto azotum  
praevaleret, nisi hoc ope urinae azoto vel maxime scatentis,  
nam constat ex 46,65 azot. 19,97 carb. 6,65 hydrog. 26,63  
oxyg., e corpore animali secerneretur, uti et acidum galacti-  
cum et huius salia ope urinae et sudoris. Renibus enim  
extirpatis uricum sanguini inest, et renum praesentia uniem  
causa absentiae urici in sanguine sano est. Sanguis anima-  
lium 5 — 9 die post extirpationem mortuorum plus aquae-  
et simul uricum alcoholre extrahendum continebat; arteri,  
is apertis in cane 60 horis post extirpationem renum san-  
guini 1/400 pars urici inest. Cur vero urina nonnisi renibu-  
secernatur, ignotum.

Materiae multae solutae in liquido animali, imprimis  
peregrinae, mutatae aut immutatae cum sanguine circulantes,  
eg. prussias kali simili modo transsudantur, irrigant  
texturas animales, admiscentur secretis, mox eg. post 2 — 10  
min. in urina adparentes. In ictero organa et secreta eodem  
modo permeantur a materia tingente bilis. Cum pressio meam  
tum per poros parictum animalium faciliter, legibus physicis  
consentane liquores mox deberent explere spatia vaporibus  
repleta; ast durante vita transsudatio haec iu aequilibrio tenes-  
tur per attractionem organicam morbis nonnullis aut aliis mu-  
tationibus delendam. Sic hydrope ex quacunque causa exorta,  
vel truncis maioribus venarum ligatis; exsudatio fit aquae cum  
albumine soluto admixtis salibus, in cavis et textu cellulosog  
collectae; urina albuminosa. Ast cur inflammatione fibrina,  
nequaquam vero haec, ast nonnisi albumen in hydrope trans-  
sudet, hucusque ignotum

Causam transsudationis inquirendo hanc in endosmosi invenimus. Gas et liquidum tenue cum soluto permeat partes humidas organicas. Gas intra vesicam humidam in aequilibrium distributionis ponitur cum gase externo; gas permeat vesicam ut absorbeat a liquido interno (Respiratio). Sal inspersum vesicae arcte aquae adligatae solvitur iu aqua degente in poris vesicae humidae, et hinc communicatur aquae vasis. Aequilibrium distributionis restituitur inter solutiones duas salium, quamquam membrana animalis interponitur, ast peculiarem nanciscuntur modificationem per phoenomenon endosmoseos. Si nempe tubus vitreus membrana animali, aut corpore minerali poroso infra deligatus, repletus solutione salis, aquae destillatae imponitur, superficies interna solutionis adscendit, nonnunquam aliquot pollicibus, et quidem eousque, donec liquidum in tubo homogeneum est externo. Cadit superficies liquidi in tubo, si extus solutio, in tubo aqua adest. Non mutatur solutione utraque aequaliter concentrata, ast permiscentur. Duae existunt explicationes huius phaenomeni: 1) Attractio inter particulas solutionis componitur ex attractione inter aquam et sal, et ex attractione particularum homogenearum salis inter se. Haec attractio composita maior est attractione simplici particularum aquae. 2) Vesica animalis porosa, considerari potest qua systema vasorum capillarium attractive agentium in liquida permeantia. Sin unum per longius temporis intervallum in poris retinetur ob maiorem attractionem vesicae ac aliud, necessario ultimum in vase suo cadere debet; ast prius eousque descendet, donec pressio columnae aquae aequilibrium tenet attractioni fortiori. Haec phaenomena endosmosis et exosmosis nominantur, secundum adscensum liquidi sub variis circumstantiis.

Haec adlata phaenomena causae simul habentur resorptionis per vasa capillaria obtinentis, unde materiae tingentes, venena, exsudata, partes solidae etc. citius serius admiscentur. Diversissime vero iu corpore animali modificata sunt, et plenam lucem a scientiae perfectione exoptant.

Dantur tandem adhuc nonnullae secretiones, quae vasorum capillarium relaxationem supponunt talem, quae globulos permeare sinit. Sic sanguis menstrualis fibrinae expers globulos sanguinis plurimos continet. Diapedesis (per secretionem) similem exoptat statum parietum; huc et phaenomena

sub transfusione (pag. 18) pertinent. Imo nonnunquam crux sanguinis sero solutus transsudatur, eg. in scorbuto, morbo maculoso, post morsum serpentum.

## Sectio II.

### De sanguine imperfecto.

Lympha sensu latiore omnes liquores appellantur in eo versantes, ut ope vasorum circulo sanguinis admisceantur; quae chylus audit, si liquor lacteus e cibis digestis in tubo intestinali paratus ope vasorum lacteorum seu chyliferorum sanguini advehitur; liquores omnes reliqui suscepti e cavis occlusis, aut e superficie corporis, aut e cavis apertis lympha sensu strictiori vocantur.

#### A. Chylus.

Chylus est materia e tubo intestinali sub digestione resorptus, differens a lympha quacunque colore albo. Est pellucidus in avibus, minus turbidus in phytophagis (nisi lacte sustentantur), turbidus albicans in zoophagis; raro, e. g. in ductu thoracico equorum, rubicundus. Alcalice reagens est odoris spermatis virili similis, quo perfectior tanto facilius coagulatur, vix ille vasorum lymphaticorum intestini; coagulatur e vase missus post 10 min.; separatur tum in coagulum et serum. Coagulum, e fibrina chyli intermixtis globulis chyli, plerumque colorem rubrum adipiscitur in aere utmosphaerico; minori quantitate ac in sanguine praesens.

Serum est solutio albuminis suspensis globulis; in superficie innatata materia flori lactis similis e globulis pinguedinis constans, vix praesens, si chylus originem duceret e nutrimentis pinguedine parentibus; serum salibus, in tractu intestinali occurribus, scatens vestigia nulla nutrimentorum non mutata offerens, nisi haec, uti butyrum etc. pinguedine abundant; analysisim sequentem praebet:

Pinguedo fusca . . . . .	15,47
Pinguedo flava . . . . .	6,35
Osmazoma, acetum et murias natri . . . . .	16,02
Materia extractiva aqua solubilis, alcoholle insolubilis cum phosphate natri . . . . .	2,76
Albumen . . . . .	55,25
Calcaria carb. et phosph. . . . .	2,76

**Globuli in chylo occurrentes non omnes pinguedini aucterendi sunt, nam sub microscopio contemplati alii pellucidi, alii opaci; nec omnes chylo aethere conquassato solvuntur, sed materia in fundo vasis insoluta e globulis constans remanet.** Parum hucusque investigati, rotundi, etiam in mammalibus existunt,  $\frac{1}{7999}$  poll. paris, id est plus quam dimidium globuli sanguinis adaequant, ratione eorum ad hos penitus ignota; caeterum haec magnitudo admodum inconstans. Unde chylum intrant, aenigma; nam in intestino nullibi dantur vasa aperta; hinc oriuntur aut a particulis organorum separatis, aut in ipso chylo.

**Cruor,** de quo ignotum an sero solutus, an globulis inhaerens occurrat, eo magis deficit, quo perfectiora nutrimenta porriguntur; nec immediate digestione communicatur, ast per glandulas mesenteriales, per lympham aliarum glandularum, et per lympham lienis, sanguine vasa capillaria penetrante. — **Fibrina paucior ac sanguinis, originem dicens seu ex albumine mutato, seu ex fibrina soluta liquore sanguinis resorpta, eo maiori quantitate adest, quo propior est lympha ductui thoracico, id est quo perfectior; iu 100 partibus chyli equi efficit 0,19—1,75; in canibus 0,17—0,56; in ovibus 0,24—0,82 partes.**

Chylus perfectionem suam unice parietibus vasorum debet chyliferorum; quae vasis capillaribus circumdati ope endosmoseos hinc fors fibrinam et cruentem suscipiunt; aut chylum lymphae mixtum ita immutant, ut ex albumine fibrina enascatur. Differt a lympha colore turbido, globulis maiore quantitate praesentibus, fibrina copiosiore, et pinguedine. Differt a sanguine imprimis ferro non tam arcto conuubio praesente; reagentibus facile demonstratur, nam solutio fibrinae rubicundae in acido nitrico cum tinctura gallarum nigrescit, et offert cum prussiate kali praecipitatum rubrum.

### B. Lympha.

Lympha, vasorum lymphaticorum contentum, est liquor subflavus, limpidus, nec alkaline, nec acide reagens, non rubicundus. Coagulata offert coagulum limpidum, globulis maxima ex parte in sero suspensis, paucioribus et minoribus illis sanguinis. Coagulum limpidum fibrina constat, minori

quantitate occurrentes ac in chylo. Globuli lymphae ranarum rarissimi, rotundi, quartam globuli sanguinis partem adaequantur. Albumen modo consuetudo lymphae obtinetur; addita concentrata solutione kali caustici lymphae illico turbatur. Cruor in lymphae plerumque non adest; nonnunquam tamen solutus esse videtur in lymphae lienis. Facillime obtinetur lymphae cutis ranae, musculis laxe adhaerente, caute transscissa, ne vasis simul sanguiferis laesia sanguis admisceatur; absque damno tamen semper globuli nonnulli lymphae innatant, tali modo obtentae.

Albumine et fibrina solutionis statu, sanguine per vasa capillaria circulante, transsudata superflua ope vasorum lymphaticorum resorbetur, quin transitus immediatus ex vasis capillaribus in vasa lymphatica, ope vasorum serosorum, globulis non permeabilium, necessarius aut demonstratus sit; quod et eo probatur, quod sanguine non coagulante, e. g. in ranis per 8 dies extra aquam degentibus, nec lymphae coaguletur, quod vero opposito statu semper evenit. Necessario igitur lymphae non nisi ex liquore sanguinis constat, et per vasa lymphatica reducta simul cum chylo sanguini iterum admiscetur, materialis nutrientibus orbata secretioni nunc fors inserviens.




---

## THESES.

---

1. Absque diagnosi nulla therapia.
  2. Symptomata objectiva subjectivis praferenda. Hinc
  3. Chirurgiae maior perfectio.
  4. Sthetoscopium symptomata objectiva praebens maxi momenti.
  5. Hypertrophia cordis cum hydrothorace plerumque confunditur.
  6. Anatomia pathologica fundamentum Nosologiae.
-